

† Fr. I. Maximilianus Schmalzl (1850–1930).

(Prov. Germ. Sup.)

Quoniam anno superiore, cum Fr. Maximilianus octogesimum aetatis annum ingressus esset, confratrum attentionem in hoc insigne familiae nostrae decus revocandam existimavimus, (1) hodie de eo, quem interim morte nobis ereptum lugemus, paulo latius agendum est.

Die 7 Jul. 1850 in Falkenstein, quod est amoenum «Silvae Bavaricae» oppidulum, honestissimo sutori Schmalzl natus est infans undecimus, qui in sacro baptismate sub peculiari tutela «Apostoli Norici», S. Maximiliani Ep. M., positus est. Praeter indolem incolis illius regionis sat communem, modestiam dico, constantiam, operositatem, sensum amoenitatum naturalium, fidem securam, Creator etiam veri artificis dotes puerulo indiderat, quae tamen postea minus ab eximiis magistris quam ab ipso Maximiliano tenaci diligentia excultae sunt.

Schola elementari absoluta, Ratisbonae per menses decem delineandi scholam frequentavit. Tum igitur iam illud didicit, quod per totam vitam fidelissime servavit: singula ornamenta in tapetis, aulaeis, columnis, vestimentis, coronis... quam accuratissime ac nitidissime effingere. — Deinceps, domi alumnus patris sui Wolfgangi Schmalzl decoratoris, insuper artem arripuit colores apte diluendi, miscendi, inducendi, atque res auro tegendi, et quamdiu vixit, colorum lucentium fulgentisque auri amantissimus fuit.

Postea, Monaci in nota illa officina *Mayer'sche Kunstanstalt* laborans, etiam per annum scholam artificum (*Kunstgewerbeschule*) adiit. Ubi cum singulares eius dotes pictoriae mox apparuissent, ei oblatum est stipen-

(1) *Analecta* VIII, 302 sq.

dium, ut gratuito per quadriennium huic arti ingenuae studere et in Italiam iter suscipere posset. Mirum! Tum ipsum adolescens fortunatus, « regnum mundi et omnem ornatum saeculi » contemnens, Garsium in domum nostram aufugit, ubi frater natu maior Petrus (* 1835) inter sacerdotes Deo serviebat († 1874).

Maximilianus se paratum dicebat ad vitam integram in claustru culina vel horto degendam, relicta omni arte pictoria, modo ne animae suae innocentis, in aëre mundano periclitantis, detrimentum pateretur. Pl. R. P. Provincialis *Schmöger*, qui ipse haec in aliqua epistola narrat, ter Maximiliani preces reiecit, sed tandem a. 1871, ipsi eiusque fratri Petro morem gerens, pium iuvenem inter candidatos laicos, anno insequenti inter novitios admisit.

Tum temporis, Congregatis Bavaris sanctuarii Marialis *Vilsbiburg* dioecesis Ratisbonen. curam gerentibus, Maximilianus iussus est huius aedis expingendae consilia et delineamenta conficere.

Quae cum curiae episcopali et clarissimo pictori *Eduardo Steinle* proposita essent, valde placuerunt; immo Steinle, tum Argentorati degens, verterente a. 1875 se obtulit ad discipulum tantae spei excolendum. Atvero P. Schmöger, religione motus, veniam dare noluit. (1)



(1) In collegio nostro Geistingensi complures epistolae asservantur a P. Schmöger ad pictorem illum datae, ex quibus haec saltem exscribere iuvat: « Es könnte ja dem jungen, ganz unerfahrenen Manne nichts Glücklicheres begegnen, als unter Ihren Augen und Ihrer Führung zu lernen und sich auszubilden. Aber denken Sie sich in meine Stellung und meine grosse Verantwortung, welche ich für die Seele desselben, das ist für die Erhaltung und Befestigung seiner Berufsgnade, vor Gott auf mich genommen habe, so werden Sie auch meine Worte nicht missdeuten. Ich hatte ihn, da er um seine Aufnahme bat, dreimal abgewiesen; er aber kam immer wieder und wiederholte seine Bitten mit der bestimmten Hinweisung, dass er nur als Religiöse seine Seele retten werde, indem er sich bereit erklärte, als Koch oder Gärtner sich verwenden zu lassen. Sein Bruder... unterstützte seine Bitte und empfahl mir noch im Sterben, den Max seinem Berufe zu erhalten. Seine Kunst konnte er zum ersten Mal in Uebung bringen, als es zur Restauration der Kirche in Vilsbiburg kommen musste. Aber auch an ihm hatte ich wie an andern Brüdern die

Maximilianus igitur inter coenobii septa remansit, et quae vota die 20 Iul. 1878 Garsii Deo palam nuncupavit, ea semper sacrosancta servavit. In omni re a Superioribus dependere satagebat. «Sola oboedientia ductus imagines meas pingo,» ita ipse aliquando confessus est. Quodsi Superioris voluntas labores plane diversos in domo, horto, campisve iniungebat, nihil reluctans eos exsequeretur. — Illud *honores mutant mores* in ipso veritatem amisit, siquidem plane idem mansit humilis Frater laicus, etiam tum, cum eius nomen et fama ad aures Praelatorum, Cardinalium atque ipsius Summi Pontificis pervenisset et per universum mundum volasset.

Utinam in aliquo albo omnia Maximiliani opera collecta conspici liceret, sive quae in parietibus ecclesiarum et oratoriorum, sive quae in tabulis, telis, chartis depinxit aut graphide adumbravit! Tum profecto mira huius pictoris fecunditas clare appareret. Appareret etiam eum utique non semper summa attigisse, sed nihil prorsus reliquisse, quin pietatem, venustatem, harmoniam spiret, nihil quod infantuli innocentis oculos offendat. Denique etiam appareret in longa huius artificis vita verus progressus, quandoquidem semper nova addiscere studebat.


Fr. Maximilianus artis suae nonnullos quidem vituperatores invenit, quibus eius figurae non satis viriles, corporeae, individuatae, commotae erant, nec propterea animum abiecit; multo plures laudatores habuit, neque eorum encomiis inebriatus est. Ubi ecclesiam loci Kraiburg coloribus suis vividis piisque imaginibus exornavit, opus ibi confectum parocho Iosepho Krandauer adeo probatum est, ut 10 000 marcorum offerret ea condicione, ut eidem Fratri etiam sacellum Bavaricum templi S. Ioachim de Urbe exornandum committeretur; id quod factum est universali cum plausu, et hac opportunitate Maximilianus etiam Italiam et Almam Urbem vidit.

Similiter cl. vir Fridericus Pustet vix per R. P. Georgium Schober in huius Fratris artificis notitiam venerat, cum paene innumerabilia ei man-

sorgenvolle Erfahrung zu machen, dass eine rasch sich entwickelnde, entschiedene Anlage zur Kunst eine grosse Gewalt, ja fast eine Uebermacht ist, gegen welche nur die beständige Wachsamkeit eines Oberen und die ununterbrochene Uebung des strengen Gehorsams den Ordensberuf noch schützen kann. Würden wir in Ihrer Nähe leben und mit dem Leben in der Kunstschule auch die Uebungen des Gehorsams und der ganzen geistlichen Zucht verbinden können, dann hätte ich längst als um eine Gnade bei Ihrer Güte nachgesucht, was Sie ungebeten aus reiner Liebe mir nun anbieten. Denn da könnte ich ruhig sein und hätte nicht zu fürchten, dass ich eine schwere Verantwortung über eine Seele mir zuziehe, welche ihr zeitliches und ewiges Heil so zu sagen in meine Hände gelegt hat.» (8. Jan. 1876.)

Eduardus Steinle natus est Vindobonae 1810, a. 1878 ab Austriae Imperatore ad nobilitatem statum elevatus, mortuus Francofurti ad Moenum 1886. Ipse eiusque magister *Ioannes Fridericus Overbeck* (1789-1869), ob suam Sancti Fundatoris nostri venerationem, filio suo nomen Alphonsum Mariam indiderunt.

data dedit, sive pro libris suis liturgicis per totum orbem sparsis, sive pro calendario suo Mariano, sive pro aliis libris exornandis. Imagines olim



Alphonsus-Buchhandlung, Münster i. W.

Specimen artis pictoriae Fr. Maximiliani.

a cl. prof. Klein delineatas Pustet reiecit — quod nonnulli doluerunt — et in earum locum novas Schmalzlianās substituit. Eiusdem editoris sumptibus atque Patris Schmöger cura a. 1881 prodiit « Vita D. N. Iesu Christi iuxta visiones Servae Dei Annae Catharinae Emmerich », quod opus grande

Fr. Maximilianus illustravit imaginibus quam accuratissime delineatis. Cum vero, Pio X ad Ecclesiae clavum sedente, novum Vesperale et Graduale typis Vaticanis edenda essent, ceteros artifices omnes, qui suae artis specimina obtulerant, confrater noster facile vicit.

Contemplantes opera huius Fratris servientis, qui nunquam altioribus studiis se dare potuit, admirare cogimur haud communem eius scientiam dogmaticam ac biblicam, privatis studiis acquisitam, ita ut eius effigies iam multis contionatoribus uberem materiam praeberint. Itaque ad fidem supranaturalem in Fr. Maximiliano accessisse videtur singulare *donum intellectus*, a Spiritu Sancto animae immissum, quo mysteria fidei penitus noverat.

Apposite autem Divus Thomas cum S. Augustino docet huic dono intellectus respondere sextam beatitudinem: *Beati mundi corde*. (1) Quam bene haec quadrant in Maximilianum nostrum, qui iam puer abhorrebat sodales minus pudicos, qui in iuventae flore mundo allicienti terga vertit atque perfectae castitatis voto in perpetuum se obstrinxit, qui artem pictoriam, toties in aliis lasciviae fomitem, semper puritate vere angelica exercuit! Nil mirum igitur, quod eius picturae angelis scatent, non istis quidem *putis nudis*, sed illis figuris aetheriis, quae ab Angelico Fesulano, clarissimo pictore monacho, depictae esse videantur. Cum eodem artifice Dominicano Fr. Maximilianus id commune habet, quod opera sua perfecit orando, meditando, vitae contemplativae exercitia peragendo; quare in eo denuo comprobatur illud: *Pietas ad omnia utilis est*. (2)

Desideratissimi confratris vires inde ex mense Decembri 1929 plane collabi et ad interitum vergere manifestum erat, et cum initio Ianuarii pulmonitis senilis accessisset, iam nulla spes restabat. Recepit igitur piissime ultima sacramenta; et usque ad extremum momentum sui compos mansit. In agonia positus, non verbis, sed aliis signis sat claris adstantium orationes enixe efflagitabat. Tandem postridie festum Epiphaniae, h. 4, spiritum meritis onustum Creatori reddidit. Aderant eius confessarius, eius nepos R. P. Petrus Schmalzl, nunc iuvenatus Garsensis Director, confratres alii.

Cum corpus ad sepulturam efferretur, foris omnia micanti pruina connecta erant; qua in re omnes sponte huius animae electae ac purae symbolum agnoverunt. Praeter multos consanguinitate vel aliunde coniunctos etiam cl. vir Fridericus Pustet humilis Fratris funus sua praesentia honorare voluit. Eius vero *Michael Card. de Faulhaber*, Archiepiscopus Monacensis, P. Rectori Garsensi d. 10 Ian. scripsit: « Intime particeps sum doloris, quem tu, Adm. R. Pater, et sodales istius collegii ex morte di-

(1) S. th. 2, 2, q. 8, a. 7.

(2) I Tim. 4, 8.

lecti nostri Fratris Max. Schmalzl percepistis. Piae eius imagines, quibus ecclesias dioecesis Monacensis exornavit, una nobiscum eius animae requiem exorabunt. Quod P. Lucas, qui ipse artem pictoriam exercebat, in nova adorationis ecclesia in Mundelein erecta eius imagines habere voluit, diserte testatur, quantopere effigies Sanctorum ab eo pictae pietatem spirant. (1) Ad altare fideliter eius recordabor.

« Salutem plurimam dicit

M. Card. FAULHABER. »

Tandem ipse supremus Congregationis moderator ita praeclare litteris consolatoriis 9 Ian. datis effigiem spiritualem defuncti confratris depingit: « Garsium visitans Fr. Maximilianum multum amare et aestimare coepi, utpote Fratrem antiqui moris et disciplinae, verum Redemptoristam, Regulae observantem, more infantis oboedientem, modestum, humilem, quamvis eximia pingendi dexteritate praeditus esset. Qua tenera pietate ipse imbutus erat, eadem relucet ex Sanctorum imaginibus ab eo pictis... Non est dubium, quin Fr. Maximilianus veri Fratris laici nostri exemplar fuerit. »

Ne proinde ulla unquam oblivio caram obruat memoriam optimi Fratris Maximiliani Schmalzl, qui primus inter nostros universalem eximii pictoris famam adeptus est, alter quidam Beseleel et Ooliab, *quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari, quae in usus sanctuarii necessaria sunt, et quae praecepit Dominus.* (2)